



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Cap. XVI. De Spe, & desperatione. Quomodò utramque moderari oporteat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

tem navim tempeſtati permittit. At ille vel in naufragio laudabandus, quem obruit mare clavum tenentem, & undis reluctantem.

CAP. XVI. De Spe, & Desperatione. Quomodo utramque moderari oporteat.

1. **S**pes vana, & mendax, & verè ſomnium vigilantis eſt, niſi in Deo collocetur, cujus ſolo nutu omnis difficultas vinci poteſt. Quid rei futuræ expectatione cruciaris, & in longinqua cogitationes extendis? Nihil ſperabis ſi nihil cupies, ſi omnia terrèna deſpicias. Nemo ſperat quæ contemnit. Licet te nunquam ſperata deſceperint, licet non ex difficili petatur quod ſperas, quamdiu te ſpes aliqua proritat, ſollicitus eris, & incertus tui, ac in ancipiti poſitus. Ut pedibus loca invia, & prærupta non petis; ita nec animo ea ſperanda quæ in tua poteſtate non ſunt. Omne miſeriæ momentum hoc eſt, deſuiſſe voluntati quod ſperavit.

2. Sæpè admonendus eſt animus, ut quæcunque extra te, & circa te ſunt, aſpiciat ut peritura, tenuique ſilpendentia. Quid obliſceris conditionis tuæ? Mortalis natus es; nihil tibi de hodierna die promittitur, nihil de hac hora. Inſtat à tergo mors: quicquid habes mutuò accepisti. Uſuſfructus tuus eſt, cujus tempora ſummus omnium arbiter temperat. Ad ejus nutum omnia ſine querela reddenda ſunt. Peſſimi eſt debitoris creditori convivium facere. Nihil eſt ergò ſub ſole quod debeas aut poſſis ſperare. Illa tantùm vera eſt ſpes, quæ de vero, & ſummo bono ritè concipitur.

3. Deſperationem cauſant inertia, abjectio animi, nimia difficultatum apprehenſio, vitioſa ſui diſſidentia, viriumque & indiſtriæ defectus. Vincitur excitando animum eorum exemplo qui etiam in gravioribus anguſtiis conſtituti omnia obſtantiâ generoſè ſuperarunt. Incipe, & propelle te ipſum, quia Deus facientes adjuvat, & quod arduum videbatur, facillimum fit, ſi falſa de illo

opinio deponatur. Quicquid accidit tibi, id omne ab æterno destinatum est. Illud autem aut ita evenit ut naturâ comparatus es ferre, aut secûs: si primum, ne despera, sed fer: sin aliter: nec tunc quidem desperandum; quicquid enim illud est, citò finem & ipsum habebit, & tibi imponet. Leve est, quod ferre potes; breve, quod non potes. Sed memineris in te situm esse multa facere tolerabilia, si ea ut utilia, & convenientia apprehenderis. Calamitas virtutis occasio est.

C A P. XVII. *De Timore. Quàm vanus sit & quâ ratione vincatur. Audacia vitanda. Quædam iterum de Ira.*

I. **M**agna pars mortalium, cum nec sit quicquam mali, nec pro certo futurum sit; æstuat tamen, & discurret, sibi que infortunium vel fingit vel auget. Non tot reperit cruciatus humana crudelitas, quot patitur animus futuri anxius, qui sollicitus est ne bona præsentia amittat, aut mala imminencia eveniant. Multa mala quæ non essent, sunt quia timemus. Quid prodest tibi ante tempus cruciari, & inani providentiâ occurrere ærumnis tuis? An ideo oportet te jam miserum esse, quia quandoque futurus es? Stultum est dare se referentibus, nullisque apparentibus signis quæ malum prænuncient, falsis terreri imaginibus. Sæpè fallaci conjectura deceptus verbum dubiæ significationis detorques in pejus. Sæpè potentis offensam majorem putas, quàm revera sit; & cogitas, non quantum iratus sit ille, sed quantum liceat irato. Vani autem sunt hi metus, & ideo magis perturbant, quia vani sunt. Vera enim modum suum habent, quicquid ex incerto venit, conjecturæ & licentiæ paventis animi traditur. Parùm differt patiaris adversa, an expectes: nisi quod modus est dolendi, non est timendi. Doles quantum scis accidisse, times quantum potest accidere.

2. Si vis omnem timorem exuere, quicquid vereris ne eveniat, eventurum propone & illud malum tecum metire, metumque tuum taxa: intelliges profectò non re ip-